



## **Opvs Theologicvm**

**Mauro, Silvestro**

**Romae, MDCLXXXVII**

Q. 113. Vtrum assensus fidei ita proximè resoluatur in reuelationem Dei, vt vitimò resoluatur in authoritarem Ecclesiae, vel in motiua credibilitatis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84131](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84131)

veritati, & reuelationi, an potius mediata, & propter aliquod aliud motiuum. Hanc questionem vt discutiamus, primo examinabimus, vtum per fidem immediatè assentiamur diuine reuelationi: secundo, vtum immediatè assentiamur diuine veritati: & tunc ex professo respondebimus tribus obiectionibus propositis in rationibus dubitandi,

### QVAESTIO CXIII.

*Vtrum assensus fidei ita proximè resoluitur in reuelationem Dei, vt vltimò resoluitur in auctoritatem Ecclesiae, vel in motiua credibilitatis?*

1. Videtur vera sententia, in quam teste Cardinali de Lugo disp. 1. de Fide, sect. 5. nu. 5. videntur inclinare Durandus in 3. dist. 24. quæst. 1. nu. 8. & 9. & dist. 25. qu. 3. Gabriel in 3. quæst. 2. art. 1. Ochamus in 3. quæst. 8. Medina lib. 5. de reâ in Deum fide, cap. 11. & alij, quod fides licet proximè resoluitur in auctoritatem, & testimonium Dei, tamen vltimo resoluitur in auctoritatem, & testimonium Ecclesiae, & in motiua, propter quæ credimus Ecclesiam habere maximam quamdam auctoritatem in testificando, quæ dicuntur motiua credibilitatis. Primò enim hæc propositio, *Deus reuelauit religionem christianam, & catholicam*, est neutra, & non est propter se credibilis; ergo vt credamus Deum reuelasse nostram religionem? Respondemus, quod credimus propter auctoritatem, & testimonium Ecclesiae, iuxta illud Augustini lib. contra Epist. Fundam. cap. 5. *Ego verò Euangelio non crederem, nisi me Catholica Ecclesia commoueret auctoritas*; ergo &c.

2. Secundò cum dubitatur, vtum Deus aliquid reuelauerit, recurrimus ad Ecclesiam, & si Ecclesia per Concilia generalia, vel per summos Pontifices definiat Deum hæc reuelasse, firma fide credimus Deum hæc reuelasse; ergo assensus, quo credimus Deum aliquid reuelasse, vltimò resoluitur in auctoritatem, & testimonium Ecclesiae.

3. Tertio videtur assensus fidei non resolui vltimò in testimonium, & auctoritatem Ecclesiae, sed in alia motiua, propter quæ credimus Ecclesiam habere summam quamdam auctoritatem. Hæc enim propositio, quod Ecclesia catholica habet summam quamdam auctoritatem, & maiorem, quam Ecclesiae hæreticorum, Gentilium, & Mahometanorum, ex terminis est neutra; ergo vt credamus Ecclesiam catholicam habere summam quam-

dam auctoritatem, indigemus alijs motiuis, ergo assensus fidei vltimo resoluitur in motiua, propter quæ credimus Ecclesiam catholicam habere summam quamdam auctoritatem; & in hæc motiua videtur resolui dem suam Augustinus to. 6. lib. contra Epist. Fundam. cap. 4. dicens; *multa sunt alia, quæ eius (hoc est Catholice Ecclesie) gremio maxime teneant. Tenet consensus populorum, nutrita, charitate aucta, vetustate firmata; tenet ipsa sede Petri, cui pascebas oues post resurrectionem Dominus commendauit, vsque ad presentem episcopatum successio sacerdotum; tenet postremò ipse catholice nomen, quod non sine causa inter tam multas hæreses, sic ista Ecclesia sola obtinuit, tam omnes hæretici se catholicos dici velint, quæ tamen peregrino alicui, ubi ad catholicam conuenitur: nullus hæreticus vel basilicam suam, vel domum audeat ostendere.*

4. Quarto hæc ipsa, ac præsertim, quod Ecclesia catholica fuerit miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, quod fuerit inquam interrupta series Romanorum pontificum B. Petri successorum, non sunt per se credibilia, sed creduntur solum propter auctoritatem humanam historicorum; ergo assensus fidei resoluitur tandem in auctoritatem humanam historicorum. Imò quia plerique, puta pueri, simplices, & indocti non legerunt historicos, credunt hæc propter auctoritatem, ac testimonium parochorum, concionatorum, & magistrorum; ergo fides plurimorum resoluitur vltimo in auctoritatem humanam parentum, parochorum &c.

5. Respondeo assensum fidei non posse vltimo resolui in auctoritatem Ecclesie catholice, neque in alia motiua explicita in rationibus dubitandi, tanquam in motiua trinitate fidei.

6. Probat; nam si fides vltimo resolueretur in auctoritatem Ecclesie materialiter sumptæ, hoc est in quantum abstrahit ab hoc, quod habeat assentiam Spiritus Sancti, crederemus Deum reuelasse catholicam religionem ex hoc motiuo, quia Ecclesia catholica materialiter sumpta testatur Deum reuelasse catholicam religionem; sed Ecclesia catholica materialiter sumpta nihil aliud est quam quædam multitudo hominum ecclesiasticorum congregatorum; ergo crederemus Deum reuelasse religionem catholicam, quia hæc multitudo hominum id testatur; hæc multitudo hominum ex se præcisè, abstrahendo ab hoc, quod habeat assentiam Spiritus Sancti, habet auctoritatem purè humanam, & fallibilem; ergo fides vltimò resolueretur in auctoritatem purè humanam, & fallibilem, adeoque non posset habere summam certitudinem, ad quam requiritur vt vltimò resoluitur in auctoritatem infallibilem, in eaque fundetur, iuxta illud Apostoli ad Hebr. 6. *Abundantius volens Deus*

vere immobilitatem consilij sui, interposuit iuramentum, ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum firmissimum solatium habeamus.

7. Responderi potest primò fidem resolutam in testimonium Ecclesiæ catholicæ, non purè materialiter, sed formaliter sumptæ, hoc est vt habentis auctoritatem infallibilem propter assistentiam Spiritus Sancti, per quam est columna, & firmamentum veritatis, vt dicitur 1. ad Timoth. 3.

8. Reijcitur hæc responsio. Nam non est per se credibile, quod Ecclesia catholica habeat assistentiam Spiritus Sancti, ac proinde auctoritatem infallibilem in testificando; ergo ad credendum, quod Ecclesia catholica habeat auctoritatem infallibilem in testificando, indigemus aliquo alio motiuo. De hoc motiuo quæro, quodnam sit? Si dicatur, quod credo Ecclesiam catholicam habere auctoritatem infallibilem in testificando, quia Deus reuelauit Ecclesiam esse columnam, & firmamentum veritatis, adeoque esse infallibilem in testificando; contra est, nam quod Deus reuelauerit Ecclesiam habere auctoritatem infallibilem in testificando, non est per se credibile; sed reuelationes per se non credibiles iuxta sententiam, quam impugnamus, credimus propter auctoritatem Ecclesiæ; ergo in resolutione fidei committimus circulum vitiosum, dum credimus Deum reuelasse nostram religionem, quia Ecclesia, quæ habet infallibilem auctoritatem in testificando, testatur Deum reuelasse nostram religionem; & credimus ecclesiam habere auctoritatem infallibilem in testificando, quia Deus id reuelauit.

9. Responderi potest secundo fidem nostram resolutam vltimò in auctoritatem Ecclesiæ, vt confirmatam miraculis, alijsque signis supernaturalibus ex Augustino allatis in tertio argumento.

10. Reijcitur; nam non est per se credibile, quod auctoritas Ecclesiæ fuerit confirmata miraculis, alijsque signis supernaturalibus; ergo vt id credamus, indigemus alio motiuo, & quæro, quod nam sit? Si dicatur, quod credo Ecclesiam catholicam confirmatam esse miraculis propter reuelationes veras contentas in Euangelij, & Actibus apostolorum, committitur circulus, dicitur Ecclesiam confirmatam fuisse miraculis, quia Deus id reuelauit, & creditur Deum hoc reuelasse propter auctoritatem Ecclesiæ confirmatam miraculis, & alijs signis supernaturalibus. Si verò dicatur, quod Ecclesiam fuisse confirmatam miraculis, ac signis supernaturalibus innotescit sapientibus per testimonia historicorum, indoctis, & rudibus innotescit per testimonia parentum, parochorum, concionatorum, & magistrorum; ergo fides sapientum resolveretur in testimonium humanum historicorum, fides rudium, & indoctorum in testimonium humanum parentum, parochorum &c.

11. Confirmatur; nam etiam Dæmones, qui vt dicitur Iac. 2. credunt, & contremiscunt, resoluunt suam fidem merè naturalem in miracula, & alia signa, propter quæ conuicti credunt veram esse religionem christianam; ergo vt nostra fides supernaturalis, & infusa resoluatur in motiuum perfectius, debet vltimo resolui, non in hæc signa, sed in reuelationem diuinam, quæ sola potest fundare summam, & supernaturalem certitudinem.

12. Responderi potest tertio ex doctrina S. Augustini lib. 22. de Ciuit. c. 8. ipsam fidem, qua Ecclesia toto orbe diffusa credidit Euangelio, esse ita miraculosam, vt non potuerit mundus credere sine miraculis, vel si credidit sine miraculis, hoc ipsum sit maximum, & euentissimum miraculum, & signum supernaturale, atque infallibile veritatis doctrinæ, quam Ecclesia credit; sed videmus Ecclesiam toto orbe diffusam firmissimè credere Euangelio; ergo videmus maximum miraculum, & signum infallibile veritatis fidei, quam profitemur; sed in hoc signo supernaturali, & infallibili potest fundari certitudo supernaturalis fidei; ergo habemus motiuum infallibile, & supernaturale, in quo fundemus certitudinem supernaturalem fidei.

13. Reijcitur hæc responsio. Nam licet pauci sapientes post multos discursus, & post acquisitam magnam notitiam mysteriorum nostræ fidei, & modi, quo credidit Ecclesia toto orbe diffusa, possint resolvere suam fidem in motiuum explicatum, quod est supernaturale, & infallibile, tamen plures simplices, & indocti non possunt sic resolvere suam fidem: siquidem hoc ipsum, quod Ecclesia toto orbe diffusa crediderit Euangelio, non aliundè ipsis innotescit, quam ex testimonio parentum, & parochorum &c. ergo rudes, & indocti resoluunt suam fidem in auctoritatem humanam parentum, parochorum &c. ac proinde non possunt fundare suam fidem in auctoritate, & motiuo infallibili.

14. Respondet quarto P. Michael de Elizabetha libro de forma quærendæ, & inueniendæ veræ religionis, quæst. 26. quod vt assensus fidei vltimo resoluatur in diuinam veritatem, & in diuinum testimonium, non requiritur, vt intellectus diuinæ veritati, ac diuino testimonio assentiatur immediatè propter se, sed requiritur, & sufficit, vt per demonstrationem moralem habeat certitudinem, & euentiam moralem de hoc, quod Deus est veritas infallibilis, & reuelauit nostram fidem. Posito enim, quod intellectus propter motiua adducta in rationibus dubitandi, argumento tertio, habeat moralem certitudinem, & euentiam de his duobus, nimirum quod Deus est veritas infallibilis, & quod reuelauit omnia, & singula, quæ creduntur in Ecclesia catholica Romana, possumus

mus per fidem omnia, & singula hæc credere, ut dicta à Deo, ac proinde illis assentiri assensu firmissimo, & commensurato diuinæ veracitati, & diuino testimonio, atque excedente rationes, & motiua, quibus probamus infallibilem Dei veritatem, ac diuinam reuelationem. Assensus igitur fidei resoluitur vltimo in illa motiua, quibus commensurat suam certitudinem; sed assensus fidei commensurat suam certitudinem diuinæ veritati, ac diuino testimonio, non autem rationibus, quibus probatur Deum esse veracem, & reuelasse mysteria; ergo fides vltimo resoluitur in diuinam veritatem, diuinumque testimonium, non autem in rationes, & motiua, quibus probatur Deum esse summè veracem, ac reuelasse nostram religionem.

15. Reijcitur hæc sententia, primò, quia supponit neminem posse credere mysteria reuelata, nisi prius habeat euidentiã moralem de hoc, quod Deus illa reuelauerit; sed hoc est falsum, ut probatur inferius quæst. 128. ergo &c.

16. Reijcitur secundo, nam euerit duo principia communiter admissa, & quæ apud me sunt certa. Primum principium est: eo ipso, quod habemus euidentiã de præmissis, ex quibus logicè inferitur aliqua conclusio, & de bonitate illationis, per quam inferitur, habemus etiam euidentiã de conclusione illata: sed iuxta hanc opinionem omnis credens habet euidentiã moralem de hoc, quod Deus est summè verax, & de hoc, quod mysteria Trinitatis, Incarnationis &c. reuelauit, & tamen non habet euidentiã moralem de ipsis mysterijs, quorũ veritas logicè inferitur ex hoc, quod Deus sit summè verax, & talia mysteria reuelauit; ergo &c. Secundum principium est: impossibile est, ut cum alicui propositioni assentimur vnicè propter aliquod motiuum, maiori certitudine assentiamur, quam alijs propositionibus, quæ sunt adæquatum motiuum assentiendi, siquidem in hac materia euidens est illud principium, propter quod vnumquodque tale, & illud magis; sed iuxta hanc sententiã propositionibus istis, *Deus est trinus, & vnus, Verbum est incarnatum*, assentimur vnicè, quia Deus est veritas infallibilis, & hæc mysteria reuelauit, & tamen maiori certitudine credimus Deum esse trinum, & vnum, & Verbum esse incarnatum, quam credamus Deum hæc reuelasse, siquidem de hoc, quod Deus hæc reuelauit, habemus certitudinem solum moralem, & commensuratam euidentiæ solum morali probationum; de hoc autem, quod Deus sit trinus, & vnus, habemus certitudinem maiorem qualibet certitudine naturali, non solum morali, & physica, sed etiam mathematica, & metaphysica, ideoque Augustinus lib. 7. Confess. cap. 10. dicit: *facilius dubitarem viuere me, quam esse veritatem, quam audiui in corde*, & Chrysof. hom. 12. in Epist. ad Hebr. dicit: *fides dici non potest, nisi*

*circa ea, quæ non videntur, amplius, quam circa ea, quæ videntur, certitudinem quis habuerit; ergo &c.*

17. Obijcies: cum audio à teste fide digno aliquem librum esse S. Augustini, ac inde lego talem librum, firmiter propter authoritatem Augustini assentior ijs, quæ continentur in tali libro, quam propter authoritatem testis inferioris Augustino credam illum librum esse Augustini; ergo cum propter authoritatem Ecclesiæ, vel propter aliam authoritatem inferiorem diuina, credo Deum reuelasse mysteria fidei, firmiter propter authoritatem Dei reuelantis possum credere mysteria fidei, quam propter authoritatem Ecclesiæ credam Deum reuelasse nostram fidem.

18. Respondeo nego antecedens, ac dico, quod si ijs, quæ lego, assentior adæquatum propter authoritatem Augustini, non possum firmiter ea credere, quam credam illum librum esse Augustini: nam propter quod vnumquodque tale, & illud magis, adeoque motiuum adæquatum credendi non minus creditur, licet motiuum adæquatum amandi non minus amatur. Si tamen ea, quæ lego in libro, non credam præcisè propter authoritatem Augustini, sed etiam propter rationes, quæ lego in eo libro, vel quæ mihi occurrunt, & propter apparentiam, quam res ipsæ præferunt, possum firmiter propter compendium omnium horum motiuorum credere quæ lego in eo libro, quam propter authoritatem testis fide digni credam illum librum esse Augustini; sed per fidem credimus veritatem, & mysteria nostræ religionis adæquatum ex hoc motiuo, quia nostra religio, cuius mysteria reuelata sunt à Deo; ergo per fidem non possumus maiori certitudine credere veritatem, & mysteria nostræ religionis, quam credamus nostram religionem reuelata fuisse à Deo; ergo si de hoc, quod Deus reuelauerit nostram religionem, habemus certitudinem solum moralem, ac proinde maiorem certitudine naturali, qua credimus vera esse, quæ demonstrantur mathematicè, & metaphysicè, etiam de veritate nostræ religionis habemus solum certitudinem moralem, & minorem certitudine naturali, quam habemus de conclusionibus mathematicis & metaphysicis; quod est absurdum, & pugnat Augustino, ac Chrysofomo supra citatis.

19. Ad 1. distinguo antecedens; hæc propositio *Deus reuelauit religionem christianam* neutra, & non est per se credibilis intellectui illuminato à Spiritu Sancto, & de hac veritate interiorius edocto à Deo, nego; intellectui non illuminato à Spiritu Sancto, concedo nego consequentiam. Hæc propositio, *Deus reuelauit nostram religionem*, non est neutra, sed est per se credibilis intellectui illuminato à Spiritu Sancto, & de hac veritate interiorius edocto à Deo, ut explicabitur inferius quæst.

ione 114. & 115. immediatè sequentibus; ergo intellectus sic à Deo edoctus potest illi propositioni assentiri propter se, nec requiritur, vt illam resoluat in auctoritatem Ecclesiæ, tanquam in motiuum intrinsecum.

20. Ad auctoritatem Augustini distinguo: credimus Euangelio propter auctoritatem Ecclesiæ, tanquam propter motiuum extrinsecum, concedo; tanquam propter motiuum intrinsecum, nego. Auctoritas Ecclesiæ signis, & miraculis confirmata est motiuum, propter quod iudicamus honestum, ac prudens esse credere Deum reuelasse Euangelium, & nos obligari ad id firmissimè credendum, adeoque est motiuum extrinsecum credendi. At motiuum intrinsecum, propter quod credimus Euangelio, est, quia Deus illud reuelauit; & intellectui illuminato à Spiritu Sancto proponitur sufficienter vt immediatè credibile Deum reuelasse Euangelium, vt explicabitur quæst. 114. & 115. Eodem pacto credimus alia mysteria propter diuinam reuelationem per se credibilem, tanquam propter motiuum intrinsecum, propter auctoritatem Ecclesiæ, propter motiua credibilitatis, propter auctoritatem parochorum, magistrorum, parentum &c. tanquam propter motiua extrinseca.

21. Ad 2. Cum dubitamus, vtum Deus aliquid reuelauerit, recurrimus ad Ecclesiam, vt ex eius auctoritate habeamus motiuum extrinsecum credendi. Posita definitione Ecclesiæ, est prudenter credibile, & credendum Deum reuelasse propositionem definitam, & tunc illuminamur à Spiritu Sancto, ita vt per talem illuminationem reddatur nobis immediatè credibile Deum reuelasse propositionem definitam; & credimus propter diuinam reuelationem per se credibilem, tanquam propter motiuum intrinsecum.

22. Ad 3. & 4. Motiuum intrinsecum, propter quod credimus Spiritum Sanctum Ecclesiæ catholicæ assistere, ac proinde Ecclesiam catholicam habere summam quandam auctoritatem, est, quia Deus id reuelauit, quæ reuelatio intellectui illuminato à Spiritu Sancto est per se credibilis; alia motiua credibilitatis allata ab Augustino, nec non auctoritas historicorum, parentum, parochorum, magistrorum &c. sunt motiua extrinseca, propter quæ iudicamus nos prudenter posse, ac debere credere Deum reuelasse religionem catholicam. Posito hoc iudicio de prudenti credibilitate, non deest fidelibus illuminatio Spiritus Sancti reddens reuelationem per se credibilem, & sic proponens sufficienter motiuum intrinsecum fidei, vt magis explicabitur quæst. 114. & 115. Quod autem S. Augustinus verbis citatis afferat motiua solum extrinseca fidei, suaderi potest, perpendendo ipsa verba. Dicit enim: *multa sunt alia, quæ in eius (hoc est Catholicæ Ecclesiæ) gremio me firmissimè teneant. Tenet consensus populorum, atque gentium: tenet auctoritas miraculis inchoata*

&c. Sensus est; motiua sunt multa, propter quæ iudico iustissimum, & honestissimum esse, vt profitear fidem, quam profiteretur Ecclesia catholica, nimirum consensus populorum, auctoritas miraculis confirmata &c. & quia iudico propter hæc motiua iustissimum, & honestissimum esse, vt repudiatis omnibus alijs sectis, profitear fidem Ecclesiæ catholicæ, volo illam profiteri vique ad mortem, & dependenter ab hac mea libera voluntate, firmissimè credo Deum illam reuelasse, propter ipsam reuelationem per se credibilem, tanquam propter motiuum intrinsecum credendi.

### QVAESTIO CXIV.

*Virum ad credendum sufficiat reuelatio externa, an requiratur interna illuminatio Spiritus Sancti, quæ sit partialis locutio Dei?*

1. Videtur ad credendum sufficere reuelatio externa: primò quia ad credendum sufficiunt reuelationes communes, per quas Deus per Patriarchas, Prophetas, & Apostolos reuelauit mysteria toti Ecclesiæ, nec requiruntur reuelationes priuatæ, per quas mysteria reuelat singulis fidelibus; sed solæ reuelationes externæ, quæ continentur in Scripturis, & traditionibus, sunt communes toti Ecclesiæ; reuelationes autem internæ, si darentur, essent priuatæ vniuscuiusque; ergo &c.

2. Secundò si ad credendum præter reuelationes externas requirerentur reuelationes internæ, hæretici, & infideles, qui non credunt reuelationibus externis, quando illis proponuntur per prædicatores Euangelij, possent se excusare, dicendo se non credere, quia Deus illis interius non reuelat veritatem eorum, quæ à prædicatoribus proponuntur, & sine interna reuelatione non possunt credere; ergo &c.

3. Tertio licet non possit euidenter contra hæreticos, & infideles probari doctrinam nostræ religionis esse veram, tamen potest euidenter probari talem doctrinam esse prudenter credibilem; sed si doctrina nostræ religionis non constitueretur sufficienter credibilis per reuelationem externam, non posset euidenter probari talem doctrinam esse credibilem, siquidem reuelatio interna vnicuique non potest euidenter probari; ergo &c.

4. Quarto vt dicitur capit. 2. Epist. Iacobi, *Dæmones credunt, & contremiscunt*; sed Dæmones carent interna reuelatione, & illuminatione Spiritus Sancti; ergo credunt solum propter reuelationem externam, ac proinde veritas nostræ religionis est sufficienter credibilis